

criptis. Vel transmissio antecedenti, dic, jus naturale in hoc puncto purè permissivum sufficienter à sac. Canonibus determinari ad ita obligandum, sicut præscribunt sac. Canones.—*Ad 2. m* Si jura ista stringunt electores in foro conscientiae, cur non stringant electum?—*Ad 3. m* Dato, quò defectus fuerit publicus, tamèn conscientiam lædere non potuit ante sententiam in adversariorum opinione: alterum de negatione hujus defectus, quò dicit Clariss. P. Pichler, videtur nimis violentum et difforme textui dicenti: *qui spontè etc.* Vox *reatus* latiùs sanè patet, quam ut ex illa peccatum mendacii colligatur. Argumenta generalia vide *tit. 2 de Constit. n. 22 de legib. irritant.*

87. Q. IX. *Quæ sit pœna delinquentium in electionibus?*

R. 1.º Electores in casu negligentiae, si intra præfixum à jure tempus non eligant, privantur pro hac vice potestate eligendi, et hæc devolvitur ad superiorem, cujus erat electum confirmare (*c. 41 h. t.*), ut suprà dictum.

2.º Si capitulares scienter eligant indignum, hoc est, prohibitum eligi, pro hac vice privati sunt potestate eligendi, et per triennium suspensi à beneficiis, seu totali perceptione fructuum et administratione (*c. 7 in fin. h. t.*), non tamèn ab officiis. Si verò formam electionis non observent, per sententiam privandi sunt potestate eligendi (*c. 42 in fin. h. t.*)—At circa devolutionem potestatis discrimen est faciendum: et quidèm, si eligitur indignus ad dignitatem cathedrali inferiore, vel forma in ejus electione non observatur, potestas eligendi ad superiorem proximum devolvitur, cujus erat electum confirmare; et si Episcopus in hoc deliquit, potestas providendi devolvitur ad capitulum, et hoc discordante ad Metropolitanum. Si verò eligitur indignus ad Ecclesiam cathedralem, vel forma in ejus electione non servatur, potestas eligendi devolvitur ad Romanum Pontificem. Ità Bonif. VIII. *c. 18 h. t. in 6.* authenticè interpretans decreta utriusque concilii Later. relata in *c. 7 in fin. et cap. 41 42 in fin. h. t.*, nisi electioni indigni minor pars contradiceret, tunc enim penes hanc est potestas eligendi, *c. 22 h. t.*

3.º Si compromissarii eligant indignum in Episcopum, pariter triennio sunt suspensi à beneficiis Ecclesiae, ad quam indignum elegerunt, et potestas eligendi, si adhuc durat tempus legale, redit ad electores, nisi et hi consenserint in electionem indigni, vel eam ratam habuerint; tunc enim et dictam suspensionem incurrunt, et privantur potestate eligendi, hac ad Papam devoluta. Hæc tamèn suspensio non habet locum in Episcopo compromissario, nec in casu, quo inferior Episcopo eligitur. Ità hæc omnia decidit Bonif. VIII. (*c. 37 h. t. in 6.*)

4.º Si electio celebrata est per abusum secularis potestatis, electores ipso jure privantur potestate eligendi per triennium, ab officiis et beneficiis perpetuò suspenduntur non ipso jure, sed per sententiam: ipse verò sic electus, si consentiat in sui electionem, ipso jure fit ineligibilis ad aliquam dignitatem; (*c. 43 h. t.*) potest tamèn Canonicus vel Parochus fieri, cum Canoniam et Parochiam non sint dignitates.

§ III.

De intimatione et confirmatione electionis.

Postquam electio substantialiter peracta est, et secundum consuetudinem loci clero et populo promulgata, intimari debet electo, et si eam acceptet, confirmari debet à superiore: et si lis contra electum vel electionem oriatur, ea terminanda est ante confirmationem.

88. Q. I. *Quandò electores teneantur electo intimare electionem?*

R. Circa hoc observandam esse constit. conc. Lugdun. sub Greg. X relata *c. 6 et 16. h. t. in 6.* Et quidèm:—1.º electores, quamprimum commode fieri potest, tenentur electo præsentare electionem, ejusque consensum petere. Si verò ultra octo dies culpabiliter præsentationem distulerint, ipso jure exclusi sunt à prosecutione electionis quoad suas Personas, et per triennium suspensi ab omnibus beneficiis, quæ tunc obtinent in ea Ecclesia (*c. 16. §. ceterum b. t. in 6.*); ne scil. Ecclesia per diuturnam vacationem detrimentum patiatur.—2.º Electus, si commode electionis vult frui, tenetur intra unum mensem, seu intra tot dies quot habet mensis, quo facta est præsentatio, consensum suum præstare; alioquin excidit jure electionis (*cit. c. 6.*), nisi esset talis persona, v. g. religiosus, quæ longiori tempore indigeret pro petendo consensu superioris, *ibidem.* Acceptata electione, si electus præsens sit, juxta loci consuetudinem processionaliter cum pulsu campanarum deducitur in Ecclesiam, et ibi post hymnum ambrosianum decantatum, in episcopali cathedra inthronizatur.—3.º Electus, si vult, regulariter renunciare potest electioni præsentatæ, imò et acceptatæ, ante confirmationem, cum id nullo jure prohibeatur, et favori pro se introducto quisque renunciare possit (*l. fin. C. de Pactis*), nisi Ecclesiae necessitas aliud exigeret; tunc enim à superiore cogi posset ad acceptandam electionem.—Facta renunciatione, electoribus pro nova electione iterum conceditur novum trimestre, vel semestre (*ex c. 41. h. t.*) Notant tamèn DD. quòd electus post renunciationem intra illum mensem mentem mutare, et electionem acceptare possit, re adhuc integra, si capitulares necdum processerunt ad novam electionem.

89. Q. II. *Quid juris electus per electionem acquirat?*

R. Ritè facta electione, ante hujus acceptationem acquirit jus personale, seu ad rem, non absolute, sed conditionatè, *si acceptaverit*; facta autèm acceptatione acquirit jus personale absolute, non verò jus reale, seu quasi dominium in prælatura; com. contra Joan. de Selva. Nam electio acceptata habet se sicut sponsalia, confirmatio sicut matrimonium ratum, et consecratio sicut matrimonium consummatum; ergò sicut per sponsalia acquiritur tantum jus ad rem, ità et per electionem acceptatam, (*arg. c. 2 et fin. de Transl.*); tum quia (*c. 16 de Accus.*) dicitur crimen per exceptionem electo ante confirmationem objectum, *impedire promovendum*, ne confir-

metur; ergò necdum est promotus habendo jus in re: tum quia habens jus reale in praelatura, ei renuntiare non potest sine consensu Papæ (c. 2 et *fin. de transl.*); sed electus renuntiare potest electioni etiã acceptatæ; ergò.

90. Q. III. *An electus, facta acceptatione electionis, acquirit jus administrandi praelaturam ante confirmationem?*

R. Negative, ita ut nec suo, nec procuratoris nomine, etsi antea æconomus vel administrator fuerit, ullo modo immiscere se possit administrationi, v. g. recipiendo homagium, conferendo præbendas, censurando, bona temporalia curando etc. (c. 9. 17. *h. tit.*) Quòd si hoc attentaverit, privatur jure electionis (c. 5 *h. t. in 6.*), omnia ejus acta cassantur, habetur instar intrusi, et fit ineligibilis (c. 12 et 17 *h. t. extrav. 1. eod. inter com.*—*Excipe*, nisi administrationem istam permittat consensus superioris, privilegium papale; non tamèn consuetudo, cui jus resistit, et magna distantia à curia Romana: undè confirmatio petenda est, idque ob necessitates et utilitates Ecclesiarum dispensativè conceditur (c. 44 §. *fin. h. t.*) Summus autèm Pontifex ante coronationem administrare potest (c. 6 *h. t.*), uti et Imperator electus.

91. Q. IV. *Quæ sil obligatio electi ad petendam confirmationem et consecrationem?*

R. 1.º Intra trimestre, à die præstiti consensus numerandum, tenetur petere confirmationem à Superiore, cui Ecclesia vel dignitas immediatè subest; alioquin, termino lapso, in pœnam negligentiae privatur ipso facto jure electionis, (c. 6. *h. t. in 6.*); cujus dispositio restricta est per c. 46. *eod.*, ita ut electi ad cathedrales vel regulares Ecclesias, quorum confirmatio spectat immediatè ad Sedem apostolicam, teneantur confirmationem petere intra unum mensem, computandum à die præstiti consensus; vel si electio debito tempore non est præsentata, à die habitæ notitiæ de electione.—Via ordinaria Abbates non exempti confirmationem petunt ab Episcopis, hi ab Archiepiscopis, hi à suis Primatibus, vel Patriarchis, et hi à Papa (*can. 2. d. 23. c. 32. h. t.*) Porrò Superior, licèt tempus à jure statutum non habeat pro impertienda confirmatione, eam tamèn ob Ecclesiæ necessitatem et utilitatem quamprimùm facere tenetur, (*arg. c. 6. h. t. in 6.*)

2.º Episcopus confirmatus intra tres menses debet consecrari; secus tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum. Si verò intra totidem alios menses id facere neglexerit, ipso jure Ecclesia, seu Episcopatu privatur. (*Trid. sess. 23 c. 2 de refor.*)—Abbas ad similitudinem consecrationis episcopalis debet recipere benedictionem ab Episcopo (c. 1 de *suppl. neglig.*); licèt multi, præsertim temporanei non soleant benedici, et multi benedicantur à suis Prælatibus regularibus. Idem dic de benedictione Abbatissarum secundum statutum regulæ à Sede apost. approbatæ.

De benedictione abbatum vide infra hoc eod. lib. tit. 40 n. 8.

92. Q. V. *Quid agendum Superiori requisito pro danda confirmatione?*

R. 1.º Si electio celebrata est in concordie, hoc est, minori parte non contradicente, neque ullo alio se opponente, Superior ad valvas Ecclesiæ

affligit decretum generale, quo contradictores, si qui essent, peremptoriè vocantur, ut statuto tempore et loco veniant, causasque impugnandæ electionis et impediendæ confirmationis dicant, (c. *fin. h. t. in 6.*) Nullo autèm contradictore comparente, Superior instituit duplex examen, unum de legitimo processu electionis, alterum de idoneitate electi: et si in neutro vitium deprehenditur, electionem confirmat; alioquin vitio deprehenso eandem cassat (c. 9. et 44. *h. t.*); ipsa tamèn confirmatio defectum latentem juris humani non sanat, nisi Papa sufficienter id exprimat.—2.º Si electio celebrata est in discordia, hoc est, cui contradictores se opponunt, hi nominatim sunt vocandi et audiendi; alioquin confirmatio citò data irrita est et inanis (*cit. c. fin. h. t. in 6.*) Porrò appellans contra electionem, vel aliam provisionem servare debet constit. Conc. Lugdun. sub Greg. X. relatum in c. 4. *ut circa h. t. in 6.* et ejus declarationem (c. 19 et 20. *eod.*) et ea, quæ circa processum talis appellationis statuuntur c. 1. et 16. *eod. et. c. 11. 38. 41. eod.*

93. Q. VI. *Quid juris acquiratur per confirmationem et consecrationem?*

R. 1.º Per confirmationem acquiritur nomen *Episcopi*, sed cum addito *Electi*, et consequenter privilegium, (c. 4. de *sen. excom. in 6.*), vi cujus Episcopi non incurrunt pœnam suspensionis, aut interdicti, nisi eorum expressa mentio fiat in constit. generali. Itèm acquiritur jus reale in praelatura, et plena administratio quoad spiritualia et temporalia, et si hæc non sunt apprehensa, vi confirmationis datur jus petendi investituram corporalem, seu introductionem in possessionem Episcopatus, (c. 15. de *Elect.*)

2.º Per consecrationem acquiritur nomen *Episcopi* simpliciter sine addito *Electi* (c. 8. de *his, quæ à Præl.*), plenitudo officii episcopalis etiã quoad actus ordinis (c. 15. *h. t.*), et consummatio matrimonii spiritualis cum Ecclesia (c. *fin. de Translat.*)

§. IV.

Afferuntur quædam specialia de electione Papæ, et Regularium.

94. Q. I. *Quæ sint specialia in electione Papæ?*

R. 1.º Ad validam Papæ electionem non sufficit major pars votorum, sed requiruntur duæ partes ex tribus (c. 6. *h. t. c. 3. h. t. in 6. Clem. 2. ibid.*), quas constitutiones, lectu dignas, firmarunt et auxerunt Pontifices Clemens VII. Paulus IV. Pius IV. Gregor. XV. Urban. VIII. Neque formam istam mutare possunt Cardinales, ut scilicèt valeat major pars propter claram decisionem Concilii Lugdunen. (*cit. c. 3. h. t. in 6.*), cui tantum juri publico in favorem Ecclesiæ condito Cardinales, utpotè jure pontificio inferiores, renuntiare non possunt.—2.º Si electio Papæ fiat per compromissum, compromissarius unus nominatus ab altero non potest accedere

voto illius, (Greg. XV. const. incip. *Æterni* §. 205.), sed oportet duas partes in electum convenire.—3.º Licet conveniens sit, ut in Papam eligatur aliquis ex sac. collegio Cardinalium, absolute tamen quilibet alius Clericus mō et laicus catholicus, etiam uxoratus, consentiente uxore, eligi potest dummodo requisita de jure naturali et divino habeat; ut sit mas, rationis compos, baptizatus, et fidelis (*c. 6. h. t.*), ubi statuitur, ut sine ulla exceptione ab universali Ecclesia romanus Pontifex habeatur qui à duabus partibus concorditer electus et receptus fuerit.—4.º Electo Papa, antequam ab universa Ecclesia acceptetur, opponi potest defectus contra formam præscriptam et libertatem electionis admissus, ut si electio facta sit ab eis, qui carent potestate eligendi, si destituta sit debito numero votorum, si simoniaca, per minas et metum gravem injustum extorta (*Can. 9. d. 78. const. Julii II. incip. Cum tam divino*); nam talis electio est nulla, adeoque, ex hoc capite impugnari potest; non autem ex alio defectu juris humani, qui non militat contra substantiam et libertatem electionis, sed est extrinsecus, ut defectus natalium, ordinis etc. At si Papa cum tali defectu electus acceptetur ab universa Ecclesia, hoc est, si nullus contradicat huic electioni, vel unius aut alterius contradictio parum, vel nihil curetur à ceteris fidelibus, acceptatio ista tanquam extraordinaria, ultima et absoluta electio sanat omnes defectus juris humani; ita ut nullus talis defectus opponi possit Papæ ab universa Ecclesia acceptato. Cum verò Deus non permittat Ecclesiam totam errare in acceptatione Pontificis, sequitur nullum in Papa acceptato reperiri defectum juris naturalis aut divini.—5.º Si Papa invalide electus sponte renuntiare nolit electioni, expectanda est sententia concilii generalis de nullitate electionis pronuntiantis, uti factum in Conc. Constantiensi: latà verò sententià nullitatis, nova electio pertinet ad Cardinales, non ad concilium, nisi plures Cardinales schismati faverent; quo casu potestas electiva rediret ad concilium generale, qualiter Concilium Constantiense elegit Martinum V.

95. Q. II. *Quæ specialia sint in electione Regularium extra eorum Ordinem?*

R. 1.º Omnis religiosus idoneus, etiam novitius, eligi potest ad Ecclesiam Cathedrali seu Episcopatum, sive secularem sive regularem, ob tento Superioris consensu; ita tamen, ut pro religioso non mendicante stet major pars absolute, pro mendicante verò insuper electio facta sit in concordia (*c. 24. et 28. h. t. in 6. Clem. 1. eod.*), nisi religiosus mendicans esset Cardinalis; tunc enim jugo regulæ solutus non obligaretur, *Constit. cit. c. 24.*, sed consentire posset electioni à majori parte factæ etiam in discordia.—2.º Religiosus mendicans nec eligi, nec postulari potest ad dignitatem cathedrali inferiorem, sive secularem sive regularem alterius Ordinis (*Extrav. un. de Post. Præl. inter com.*) At Religiosus non mendicans non quidem eligi, sed postulari potest ad prælaturam alterius Ordinis cathedrali inferiorem (*Clem. 1. h. t.*); nam in *oit. Extrav.* talis postulatio prohibetur solum mendicantibus; ergo aliis concessa videtur. Insuper Religiosus non mendicans, attento jure communi, eligi potest ad prælaturam secularem cathedrali inferiorem, ut clarè supponit *cit. cap.*

24. §. *Circa h. t. in 6.* ubi Bonif. VIII. solum prohibet, ne Regulares consentiant electionibus à minori parte de se factis; ergo si à majori eligantur, poterunt consentire. Oppositum tenet Laym. *de elect. q. 204.* addens de hoc non debere nos esse sollicitos, cum responsa Pontificum et praxis curiæ romanæ non admittant Regulares ad prælaturam, etiam Ecclesiæ collegiatæ.

96. Q. III. *Quæ sint specialia in electionibus Regularium intra Ordinem?*

R. 1.º Electores regulares de jure communi debent esse constituti saltem in subdiaconatus ordine (*Trid. sess. 22. c. 4. de refor.*), non novitii, sed professi, clerici, et nullo alio impedimento laborantes; uti proprietarii, qui per biennium privandi sunt voce activa, et passiva, (*Trid. sess. 25. c. 2. de Regul.*), nec mendicantes etiam de licentia Sedis apostol. translati ad non mendicantes, cum nec vocem, nec locum habeant in capitulo, *Clem. 2. de regul.*—2.º Eligendus in prælatum debet esse expresse professus (*c. 28. h. t. in 6.*), unde novitius eligi non potest (*c. 49. h. t.*), ubi ratio additur, quia in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit; nec est præficiendus, qui subesse non novit. Neo-professus autem absolute eligi posset in prælatum: id tamen communiter non expedit, maxime si regula certos professionis annos requirat.—3.º Forma electionis superiorum regularium præscribitur à Trid. (*sess. 25. c. 6. de regul.*) ut scilicet fiat per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, absentium vota non suppleantur, nisi regula aliud conderet; alioquin electio est irrita, et electus ei consentiens fit inhabilis ad omnia officia in Religione obtinenda. Quæ dispositio Trid. ad evitandas discordias et inimicitias inter Religiosos facta, sustulit formam *inspirationis et compromissi*, dum fiunt per vota publica. Si tamen compromissum more scrutinii fiat per vota secreta, non est sublatum per Trid., cum idem finis obtineatur. Ceterum, non omnis publicatio votorum obest valori electionis, sed ea solum quæ accidit ex culpa capituli; ut si totum capitulum, vel major pars consentiret in publicationem alicujus voti; vel si quis palam daret suum votum, et capitulum non contradiceret, illudque votum non rejiceret, juvendo dari votum secretum, aut talem capitularem ut indignum potestate eligendi privando. Unde non erit irrita electio, si quis ex ignorantia, vel malitia privatim ostenderet alteri nomen eligendi; vel si post consummatam electionem nomina eligentium ab electoribus, vel scrutatoribus malitiose contra secreti obligationem publicentur, quia electionis valor nequit pendere ab eventu futuro—4.º Dispositio Trid. probabilis locum habet in abbatibus perpetuis, qui Ecclesias obtinent in titulum; tum quia idem finis et motivum pro illis militat; tum quia Trid. in rubrica et principio *cit. c. 6.* generaliter loquitur: *in electione superiorum quorumcumque.*—*Nec obstant sequentia verba: Abbatum temporalium,* quia his non tam restringitur, quam ampliatur dispositio, etiam ad abbates temporales. Circa confirmationes superiorum regularium electorum, servanda sunt statuta cujusque Ordinis. Præterea in electionibus Regularium præter specialia cujuscumque Ordinis, attendenda sunt sequentia, ob quæ iidem non gaudent suffragio activo, vel passivo.

I. Collocati de familia in aliquo conventu, nisi per tres menses immediate

proximos capitulo celebrando ibidem continuo permanserint: *ex dec. Cong. Epis. et Reg. 7. Feb. 1648.*

II. Electi in quibuscumque capitulis uno suffragio supra medietatem, si non aperta fuerit eorum schedula ad videndum, an sibi ipsis sufragati fuerint (*ex dec. Cong. Conc. in Milevitana synodi 2. Julii 1707. ad dubium 35.*) Quod non est contra jus, imò plures Religiones habent statuta hujusmodi, ut mea, (*ex dec. cap. gener. 1748.*) Idem servatur in electione Papæ (*ex const. decret. Greg. XV. §. de numeratione suffrag.*) Aperta autem schedula, recognosci tantum debet à tribus scrutatoribus, non manifestato nomine illius, cui electus saffragatus est, ut juxta Trid. eligentium vota secreta semper remaneant.

III. Superiores locales in capitulis Provincialibus neque activo, neque passivo suffragio gaudent, nisi juxta constit. Innoc. XII. *Nuper*, exhibuerint fidem ab omnibus Sacerdotibus cujuscumque domus regularis subscriptam et juratam, quòd omnibus et singulis tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus fuerit omninò et integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etià hujusmodi residuali implemento missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri.

Attendendum est etià sequens sac. Visitationis apostol. decretum sub die 14 octob. 1601. à Clem. VIII. approbatum. *Privatio vocis activæ et passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ab eisdem superioribus Ordinibus late. ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque ex prolata vocalis minimè afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimata, prout Sanctitas sua omninò vetuit.*

Excipiuntur tamèn casus, qui emergent, congregato jam capitulo, propter quos aliquis privandus esset voce activa, vel passiva; tunc enim, ipso summano audito, si constaret verè incurrisse hanc privationem, pronuciari posset sententia, et excludi deberet.

97. Q. IV. *An Religiosi electi in vocales, seu discretos capituli provincialis aut generalis, renunciare possint electioni de se factæ?*

R. 1.º In hoc puncto observanda esse statuta cujusque ordinis: et quidem, si Religio prohibet, vel pœnas statuit contra illos, qui ex officio tenentur, et renuntiare ad actus capitulares, non admittitur renunciatio, nisi justa et gravis causa aliud suadeat, ne per talem renunciationem bono publico noceatur.—2.º Abstrahendo à particularibus statutis, negativè. Ità Peregr. Dian. et alii; nam per taem electionem non acquiritur aliqua dignitas et præminentia, sed onus, munus et officium exequendi id, quod agendum est pro communi bono: sed Religiosus oneri et officio renuntiare non potest, sed tenetur illud ex obligatione implere; ergò neque potest renuntiare tali electioni: tum quia, si unus non teneretur interesse capitulis, nec tenerentur alii, imò forsàn plurimi cum S. Greg. Nazianz. mallent abesse ab his conventibus; quod sanè cederet in magnum præjudicium et detrimentum boni communis.—*Nec obstat*, quòd quisque favori suo renuntiare possit per *l. fin. C. de Pactis*: nam publico favori pactis privatorum renuntiare non potest; in dato autem casu favor est publicus in bonum Religionis in-

troductus, et respectu Religiosi non tam favor est, quam onus subeundum.

98. Q. V. *Quæ sint specialia in electione abbatissarum?*

R. 1.º Qualitates eligendæ in abbatissam seu præfectam monasterii sunt:—ut sit *virgo*, saltèm existimata (*can. 12. juvenculus 20. q. 1.*):—*legitimè nata*, arg. *c. 7. h. t.*, ubi legitimitas requiritur in eligendis;—non minor annis 40, et quæ 8 annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; vel si necessitas aliud exposcat, de consensu Episcopi, vel alterius superioris, quæ annum trigesimum excesserit, et quinque saltèm post professionem laudabiliter vixerit, (*Trid. sess. 23. c. 7. de Regul.*)

* Si una sola in monasterio reperiretur habens ætatem à Trid. requisitam, ipsa deberet eligi, licèt esset alia illa habilior, quamvis huic deficeret unus tantum ætatis mensis, *ex decreto cong. Ep. et Reg. in Viterbien. san. Rosæ 23. Martii 1623.* Vide notata Elencho VI. n. 91.

2.º Quod formam electionis concernit, præses erit Episcopus, vel alius superior, qui tamèn cum scrutatoribus claustra monialium non ingredientur, sed per cancellorum fenestellam vota excipient; nisi necessitas et tranquillitas in electione aliud suadeat, juxta Const. Greg. XIII. *Ubi gratiæ*. Vota secreta dantur à professis; et si electio celebrata est in concordia, sufficit major pars absolutè, per *cap. 42. hoc tit.*; si verò celebrata est in discordia, servanda est constitutio *cap. 43. Indemnitatibus h. t. in 6.*, vi cujus electa à majori parte absolutè, licèt minor contradicat, interim ante confirmationem tam in spiritualibus, quàm temporalibus administrabit; non confirmabitur autem electa in discordia, nisi duæ partes ex tribus concurrant saltèm per accessum; vel donè superior ex officio plenè, de plano tamèn, cognoscat ea quæ obijciuntur electæ, aut contra formam electionis. Plura vide in Donato, Portell. Dian. Ant. à Spirit. Sanct. Peyr etc.

* Circa electionem abbatissæ monialium Regularibus subjectarum vide Elencho VI. numer. 92. et 94.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

99. *Nota*, translationem latè accipi pro quacumque mutatione personæ ab una ad aliam Ecclesiam; strictè autem est mutatio Episcopi ab uno Episcopatu ad alterum ex justa causa, et auctoritate Papæ. *Comm. ex Can. et seqq. 7. q. 1.*

400. Q. I. *An Episcopus confirmatus, aut consecratus possit à sua Ecclesia transferri ad aliam?*

R. Affirmativè, toto *h. t.*; et *Canon 34. mutationes 7. q. 1.* dicitur: *mu-*

a—De hac materia agitur in Decreto 7. q. 1. et 21. q. 2.